



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari  
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

**Melanchthon, Philipp**

**Viteberga, 1542**

**VD16 C 4714**

**VIII.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35748**

PRÆCIPVI.

VII.

Item docent, quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia Christi, proprie congregatio membrorum Christi, hoc est, sanctorum, qui uere credunt et obediunt Christo, et si in hac uita huic congregationi multi mali et hypocritæ admixti sunt, usq; ad nouissimum iudicium, Habet autem Ecclesia proprie dicta, signa sua, scilicet puram et sanam Euangelij doctrinam, et regulatum usum sacramentorum. Et ad ueram unitatem Ecclesie satis est consentire de doctrina Euangelij, et administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubiq; similes esse traditiones humanas, seu ritus ab hominibus institutos. Sicut et Paulus docet, cum ait. Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, et c.

VIII.

Cum autem in hac uita admixti sint Ecclesiæ multi mali et hypocritæ, qui tamen societatem habent extenorum signorum, cum Ecclesia, licet uti sacramentis quæ per malos administrantur iuxta uocem Christi, Sedent scribæ et Pharisæi in Cathedra Moysi, et c. Et Sacraenta et uerbum

b iii Dei

## ARTICVLI FIDEI

Dei propter ordinationem & mandatum Christi  
sunt efficacia, etiam si per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas & similes, qui negab-  
bant licere populo uti ministerio malorum in Ec-  
clesia, & sentiebant ministerium malorum inutile  
& inefficax esse.

### IX.

De Baptismo docent, quod necessarius sit ad  
salutem, tanq̄ ceremonia a Christo instituta. Et  
q̄ per baptismum offeratur gratia Dei, Et quod  
infantes sint baptizandi, Et quod infantes per  
baptismum Deo commendati recipiantur in gra-  
tiam Dei, & fiant filii Dei, sicut Christus testa-  
tur, loquens de paruulis in Ecclesia, Matth. 18. Nō  
est uoluntas patris uestrī qui in cœlis est, ut pere-  
at unus ex paruulis istis.

Damnant Anabaptistas, qui improbant bap-  
tismum infantum, & affirmant infantes sine bap-  
tismo & extra Ecclesiam Christi saluos fieri.

### X.

De Cœna Domini docent, quod cum pane  
& uino uere exhibetur corpus & sanguis Chri-  
sti, uescientibus in Cœna Domini.

De